

num. 28. *Cod. Qui accus. non poss.* Joan. de Ana in cap. 1. de *Crimine falsi*, col. 3. in fin. & idem disponit *lex 26. tit. 11. part. 3.* Confirmatur etiam, quia accusator calumniosus punitur similitudine supplicii: textus est in *leg. Libellorum, in fin. ff. de Accus. text. in leg. Si cui, eodem tit. cum similibus*, text. in *leg. 2. Cod. de His qui latrones*, per quem dicit ibi Bald. in fine, quod ille qui facit aliquem capi, qui postea reperitur innocens, debet puniri similitudine supplicii: & per hoc fuit quidam decapitatus in civitate Perusii. Sed attende, salva ejus pace, quod cum hodie poena talionis non sit in usu, ejus sententia non posset procedere, sed teneretur poena extraordinaria: Dubium tamen erat de jure communi, an ista sententia & conclusio procederet eo casu quo ille, contra quem dictum fuit testimonium, non fuit condemnatus, quia ante sententiam apparuit de falsitate? Et videtur quod non: sed tantum eo casu quo est sequuta mors vel poena corporalis. Primum, quia ut dixi, hodie poena talionis non est in usu. Secundum, quia hoc probat praedicta lex partitae, quae loquitur eo casu quo poena est mandata executioni. Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imo quod utroque casu teneatur poena mortis, vel simili poena corporali: qua reus teneretur, si contra eum verè probaretur delictum: & in expresso ita probat textus in *dist. §. Praeterea*, probat etiam textus notabilis in cap. Satis, in fin. 33. quæst. 5. quem ad hoc notant & commendant ibi DD. illum etiam ad hoc commendat Felin. in cap. Sicut de testibus, col. 2. num. 2. & istud est quod expressè voluit & disposuit ista nostra lex finalis Tauri: & ista est ejus principalis decisio.

8 Quæro tamen circa hoc: Si fortè testis fasum testimonium dixit contra alium in causa hæresis, utrum possit poenitere sicut reus poterat, licet contra eum probaretur delictum? Et breviter dico quod non: quia talis testis falsus non tenetur de hæresi, sed de crimine falsi, in quo non habet locum poenitentia: & in expresso ita tenet Jacob. de Aretin. in l. fin. *Cod. de Accusationibus*, & ibi Cyn. col. 1. vers. 3. Queritur. Alber. col. 2. vers. Sed quid si aliquis, Bald. col. 1. num. 3. Ang. de Perus. in fin. num. 3. & per consequens teneretur eadem poena qua reus teneretur si delictum hæresis probaretur: & certè esset justissima poena, licet aliquando soleat practicari contrarium: imò quod levior & arbitraria poena imponatur.

9 Item etiam quæro: Si testis dixit falsum testimonium in causa adulterii contra aliquos, & probetur falsitas, qua poena talis testis puniatur? Et videtur quod poena mortis: quia eam potest maritus imponere ipsis adulteris,

cum per leges nostras Regias possit maritus adulteros interficere. Ex adverso tamen videtur quod talis testis non teneatur poena mortis: quia illa non est præcisa, certa, nec determinata per nostras leges Regias in causa adulterii: sed tantum est poena arbitraria posita in voluntate & facultate mariti, cum ambo, hoc est, adulter, & adultera tradantur marito, ut de eis & bonis eorum faciat quicquid velit: unde videtur, quod hoc casu talis testis falsus puniatur poena arbitraria, sicut de jure communi, & certè quæstio est dubia, nova, & singularis: in qua primò videtur quod talis testis teneatur poena juris communis: vel aliter & secundò videtur quod talis testis ponatur in potestatem eorum, contra quos testimonium tulit super adulterio. Vel aliter, & tertio dico quod videtur quod talis testis teneatur poena mortis: quia ad talem poenam se extendebat poena, & delictum adulterii super quo deposuit, & jam iste casus contigit de facto in Cancellar. Regia de Valladolid: & quæstio fuit valde dubia, & fuit diversitas, & discordia inter ipsos judices, & processus fuit ad alios remissus, & finaliter fuit imposita poena mortis: & certè ista poena, & opinio videtur mihi justa & tenenda.

10 Item adde quod sicut testis deponens falsum testimonium in causa criminali puniatur poena mortis, vel eadem, qua ipse reus delinquens puniretur, si contra eum probaretur delictum, ut supra proximè dixi, & disponit nostra lex finalis Tauri: ita eodem modo judex qui dolo, pretio, vel malitia injustè aliquem condemnavit in causa criminali, tenetur poena mortis, vel eadem qua ipse condemnatus afficiebatur: textus est singularis & unicus in *leg. lex Julia. §. fin. ff. ad leg. Juliam repetend.* quem ad hoc reputat singularem & unicum Bald. in *leg. Presbyteri, la 1. Cod. de Episc. & Cler. col. 2. num. 10.* licet littera ejus sit corrupta in allegat. illum etiam dicit mirabilem Bald. in *leg. unica, Cod. Ex delictis defunctorum, penult. col.* facit etiam textus in *leg. 1. & per totum, ff. Quod quisque jurist* per quem ita tenet Bald. in *Rubric. Cod. de Poena Judicis qui malè judicavit*; & idem disponit *lex notabilis, part. 24. tit. 22. part. 3. & leg. 4. in fin. tit. 30. part. 7.*

Si verò dixit falsum testimonium in causa criminali, non tamen capitali, tenetur poena ordinaria falsi, de qua inferius dicam: si verò dixit falsum testimonium in causa civili, indistinctè tenetur poena ordinaria falsi, & tenetur parti ad totale interesse: ita dicunt & probant praedicta jura superiora, & probat etiam praedicta lex partitae. Unum tamen est quod hoc casu hodie in isto Regno imponitur sibi poena extractionis dentium: ita disponit *lex 3. tit. 4.*

Fo-

Fori legum, quæ tamen esset servanda in locis ubi de consuetudine servatur. Similiter etiam tenetur poena falsi testis, qui accepit pecuniam etiam pro veritate dicenda: textus est notabilis in *leg. 1. versic. Sed & si quis. ff. ad legem Cornel. de Falsis*: & ibi notant & commendant Bartol. & communiter DD. cujus ratio est, quia ille qui tenetur aliquid facere gratis, si pro eo recipiat pecuniam, turpiter recipit: ut in *leg. 1. & 2. Cum simil. ff. de Condition. ob turp. caus.*

11 Quartò committit quis falsitatem quando dolosè & fraudulenter mutat sibi nomen, vel cognomen causa alium decipiendi: text. est in l. Falsi nominis. ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, cujus verba sunt: Falsi nominis, vel cognominis asseveratio poena falsi coercetur: & ibi notant Bartol. & communiter DD. & jam vidi de facto quod quidam creditor non habebat nisi unum testem contra debitorem pro quodam debito probando, & illum induxit, ut deponeret in causa expresso nomine proprio: & postea iterum & secundò mutatis vestibus & mutato nomine deposuit, ut sic creditor obtineret, & punitus fuit poena falsi.

12 Quintò committit quis falsitatem quando mensuras publicè signitas vel approbatas corruperit, licet hoc casu mitiori poena puniatur? Quia condemnatur in duplum ejus damni quod incurrit ille qui cum eo contraxit, & per tempus in exilium datur, textus est in *leg. penult. ff. ad leg. Corneliam, de Falsis, text. in leg. Annonam. ff. de Extraord. crimin. text. in leg. Arbitrio. §. de Eo. ff. de Dolo*, & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. textus in *leg. 7. tit. 7. part. 7. textus in leg. 1. tit. 10. lib. 3. Fori legum*, ubi vide bonam Glossam.

Sextò committit quis falsitatem, quando fecit pactum suppositum: text. est in *leg. Qui falsam. §. 1. ff. ad leg. Corneliam, de Falsis*, text. est in *leg. lex Cornelia, eodem tit. text. in leg. 1. Cod. eodem tit. text. in leg. Hi tamen, vers. Nam & filius. ff. de Accusat. in leg. 3. tit. 7. part. 7.* per quæ jura aperte venit reprobanda sententia Innocent. & aliorum DD. in cap. Quia verisimile, de Præsumpt. & Abb. Felin. & aliorum in cap. Afferte, eodem tit. ubi dicebant quod hoc casu imponitur poena mortis: quia certè non imponitur nisi poena falsi, quæ est longè minor, ut statim proximè dicam.

13 Item adde quod regulariter in hoc crimine falsi poena est deportatio, & omnium bonorum publicatio: & hoc in libero homine, in servo verò est poena mortis: textus est in *leg. 1. §. final. ff. ad leg. Cornel. de Falsis*, cujus verba sunt: Poena falsi vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio: & si servus eorum

quid admisit, ultimo supplicio affici jubetur: text. in §. Item lex Cornelia de Fals. Instit. de Public. judic. Adde tamen quod cum hodie ista poena non possit imponi, quia nulla Civitas, vel jurisdictio habet insulas in quibus ista poena practiceretur, item etiam nec regulariter hodie habeat locum cum confiscatione omnium bonorum pro delictis, ut in *Authent. Bona damnatorum. Cod. de Bonis præscript.* quod isto Regno poena arbitraria, secundum qualitatem delicti & personarum, argumento textus notabilis in *leg. Hos accusare. §. Omnibus. ff. de Accusation.* ubi habetur quod quando poena imposita à lege non potest cadere in aliqua persona ex aliqua causa, imponitur per judicem poena arbitraria: text. in *leg. Hodie. ff. de Poenis cum similibus*, & in expresso isto fundamento & consideratione ita tenet Gandin. Doctor antiquus, in tractatu matrimon. in tit. de Falsariis, column. 4. vers. Sed cum hodie, ¶ sequitur Gregor. in l. 6. tit. 7. part. 7. verbo: Desterrado. Clar. lib. 5. Sententia, num. 31. ¶ notabiliter & meliùs quam alibi Alber. de Rosat. in *leg. 1. ff. §. fin. ff. ad leg. Corneliam de Falsis.*

14 Item adde quod in hoc delicto falsitatis non admittitur appellatio: text. est in l. 1. *Cod. de Falsa moneta*, vers. Appellandi, cujus verba sunt: Appellandi etiam privato licentia denegatur: text. in *leg. 2. ejusdem tit. in verbo illico*, licet illa jura possent intelligi in delicto qualificato falsæ monetæ, non verò in alio delicto falsitatis: & istud videtur verius, & tenendum.

15 Dubium tamen maximum est circa praedicta, si judex qui tulit falsam sententiam, vel tabellio qui fecit falsum instrumentum, vel testis qui dixit falsum testimonium, dicant & affirment in articulo mortis, eam falsitatem commisisse, an talis confessio legitime probet? Et breviter & resolutivè dico quod non: ita probat textus in l. Si quis in gravi. §. Si quis moriens. ff. Ad Syllan & ibi expressè tenent Bartol. Alber. Angel. Bald. & communiter DD. text. in l. Generaliter. *Codic. de Non numerat. pecun.* & ibi tenet Bart. fin. col. in fin. textus notabilis in *leg. fin. ff. de Probat. text. in leg. Seia. ff. ad Velleian.* & ibi Paul. text. in *leg. 1. §. Si quis filium. ff. de Carbon. edicto*, text. in *leg. Mater. Cod. de Calumniis*, & tenet Bald. in *Auth. Si dicatur. Cod. de Testibus, penult. col. Salycet. in leg. Qui falsa. ff. de Testibus*, Jason. in *leg. 1. ff. de Eo per quem factum est*, idem Jason. in *leg. Jusjurandum. §. Procurator. ff. de Jurejur. num. 25.* Felin. in cap. Litteras de præsumptionibus, cujus ratio est, quia tendit in præjudicium tertii. Item etiam quia non deponit solemniter in judicio: ita dicit Bald. in *dicta Authent. Si dicatur. Cod. de Testibus,*

pe-

penult. column. Item etiam quia non omnis, qui moritur, est Joann. Evangelista, ut dicit idem Bald. in cap. 1. §. Vassalli, et 1. in fin. de Pace Constantiæ, in usibus feudor. Quod tamen intellige, quando talis confessio defuncti reperitur sola: secus tamen est si cum ea concurrant alia indicia: nam tunc plene probat: quia est credendum, quod in tali articulo quis contra se & propriam conscientiam testimonium falsum dicat, nec debet præsumi immemor salutis æternæ, ut in cap. Sancimus 1. quest. 7. & in terminis ita tenet Philipp. Dec. in leg. 1. ff. Si certum per. column. 3. num. 12. Hippolyt. notabiliter & melius quam alibi in Reperitione rubric. ff. de Fidejus. num. 39. dicens quod de hoc est statutum in inelyta Civitate Mediolanensi, quod ipse practicavit. Pro qua sententia & conclusione circa prædictos DD. facit textus notabilis non allegatus in proposito, in leg. Quero. §. final. ff. de Edil. edict. ubi habetur quod servo vili & infami de facto proprio credendum est: & ejus confessio plene probat, si cum ea concurrant alia indicia: & ad hoc summè notant & commendant ibi Alberic. Bald. Salyc. & communiter alii DD. Notat etiam & commendat Bartol. in leg. Cum filius familias. ff. de Verborum obligat. column. final. Confirmatur etiam, quia probatio non semper ruditer, & vulgariter debet intelligi, quod debeat fieri per duos testes vel propriam confessionem, sed per alias legitimas vel probabiles conjecturas, per quas iudex possit moveri, & ad perfectam credulitatem perducere: text. est in l. 3. §. Tu magis. ff. de Testibus, cujus verba sunt: Quæ argumenta ad quem modum probanda cuique rei sufficiant, nullo certo modo definiti potest: hoc ergo rescribere possum summam, non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quid aut credas, aut parum tibi probatum opineris, & ibi communit. DD. Ex quibus resultat prædicta sententia & conclusio bene confirmata, quod sola confessio alicujus tertii de facto proprio etiam in præjudicium tertii concurrentibus aliquibus indiciis, plene & sufficienter probat.

Et istum casum habui de facto in mea propria persona & proprietatis Vesperorum Cathedralis, quam ad præsens possideo, quam potius misericordia Divina habui, & obtinui, quam alio jure, titulo, vel via ordinaria justitiæ: in qua fui quatuor Oppositores, scilicet Doctor Velasco, Doctor Torres, Licentiatus Sanchez, Regii Auditores; & similiter ego, qui obtinui victricem Cathedralis, in qua fuerunt plusquam mille suffragia: & summa lis & differentia fuit orta inter me & peritissimum prædictum Doctorem de Velasco: quia inter nos fuit maxima & omnimo-

da paritas & qualitas inter suffragia, cursus, & qualitates eorum: & facta regulatione omnium per Rectorem & Consiliarios, invenerunt prædictum Doctorem de Velasco excessisse in solo tertio unici cursus, & miserunt eum in possessionem prædictæ Cathedralis, quam habuit & possedit plusquam per annum continuum, & fructus & redditus percepit: post quæ omnia viso processu, & præhabito consilio & deliberatione, conquestus fui coram Imperatore & Rege nostro, qui libenter audivit petitionem meam, & remisit causam celeriter pertractandam in Cancellaria Regia de Valladolid, ubi lis & causa duravit plusquam per annum: & in effectu & substantia dixi & allegavi esse erratum in calculo & regulatione: quis in votis & suffragiis meis erat & continebatur unus cursus plus quam numeratus fuit, de quo constabat ex proprio errore calculi & processu. Secundò & principaliter allegabam quod dato quod in calculo & regulatione non esset erratum, prædictus tertius cursus, in quo prætendebat excedere Doctor Velasco, non erat excessus: quia non potest inveniri in victoria alicujus Cathedralis minor excessus, quam unius cursus integralis, qui fit ab scholari & auditore infra annum, vel majoris partis, & in tertia, quarta, vel dimidia parte anni non fit: nec potest fieri aliqua pars cursus, cum sit actus individuus, qui requirit totalem consummationem, & perfectionem, in quo pars non affert tantam utilitatem respectu partis, sicut totum respectu totius: & secundum hoc eramus pares & æquales, & ratione antiquitatis ego eram præferendus per Constitutiones nostras, dicentes quod si in petitione Cathedralis plures DD. vel Magistri concurrerint, cæteris paribus, antiquior in gradu præferatur. Tertio, & principaliter allegabam, quod plures Scholares & Studentes, qui vota & suffragia sua dederunt in prædicta Cathedralis erant inhabiles, & nullo modo erant capaces, eorum specialiter quidam vocatus Joannes Nuñez, contra quem durante lite allegavi non esse facultatis legalis, nec habuisse votum & suffragium, & falso votum dedisse ex maxima amicitia: & contigit quod isto medio tempore interfecit quadam nocte Baccalaureum Ximenez, in cujus domo habitabat, & ejus erat commensalis, & fuit captus & in carceratus per Judicem Ordinarium Universitatis, & supervenit Licentiatus Joannes Curialis, Judex cum speciali commissione Regia, & fregit carceres judicis Scholastici, & statim sine longa mora eum condemnavit ad mortem, & publice furca suspendi fecit: qui dum duceretur per vias publicas & plateas, ductus fuit per domum meam, me absente in prosecutione Cathedralis, & ejus litis, & alta voce clamavit & vocavit uxorem, filios,

& familiam meam; & coram eis dixit & confessus fuit qualiter votum & suffragium falsum dedit contra me, sine eo quod aliquem cursum haberet, nec esset facultatis legalis: sed omnino & ex pluribus causis inhabilis ad votum & suffragium ferendum: & qualiter ipse illud præstitit pro Doctore Velasco in secreto, prout vota præstantur: & finxit & affirmavit, se habuisse quatuor cursus, & ita posuisse in schedula sua, quod hoc manifestabat & declarabat pro remedio suæ conscientia: & iterum atque iterum in patibulo & furca antequam expiraret, hoc pluries clamando dixit & declaravit, & vobis & lacrymis à me, licet absente & familia mea veniam imploravit, & postea in prædicta Cancellaria Regia coram prædictis Judicibus causæ, inter omnia alia, quæ in favorem proprium allegavi, fuit quod votum & suffragium hujus condemnati non deberet valere, & per consequens deberent auferri de computatione & regulatione Doctoris de Velasco quatuor cursus, quos iste dixit habere, ex quo resultabat, quod mihi deberet adjudicari prædicta Cathedralis, & allegabam in favorem meum, quod ista erat confessio defuncti de facto proprio: cum qua concurrebant alia plura indicia, & secundum hoc plene & sufficienter probabam, licet tenderet in præjudicium tertii, hoc est, prædicti Doctoris de Velasco, juxta prædictam superiorem communem sententiam & conclusionem, quam fundavi. Nam primò allegavi & probavi maximam amicitiam, quam habebat cum prædicto Doctore de Velasco. Secundò, quia etiam in articulo mortis dixit, fabricasse falsitatem in matricula, certo modo & signo: & ita apparuit & inventum est. Tertio, quia antequam votum & suffragium dedisset, dixit & confessus fuit coram pluribus amicis, quod non erat facultatis legalis, & timebat poenam falsi.

Quartò quod in aliis Cathedralibus legalibus nunquam repertus fuit votum dedisse, nec scriptum esse in Matricula. Quintò, quia post quam votum & suffragium dedit in prædicta Cathedralis, dixit & confessus fuit coram pluribus, qualiter ingressus fuit Claustrum Rectoris & Consiliariorum secretè, me illum non vidente ad opponendam exceptionem, & tandem pertransiit inter alios sicut moneta falsa.

Sextò etiam & finaliter probavi alia quam plurima quæ hic non refero, per quæ mihi fuit adjudicata prædicta Cathedralis & in gradu supplicationis fuit sententia confirmata, non tamen fuerunt fructus medii temporis, lite durante percepti, mihi restitui, sed remanserunt penes prædictum Doctorem de Velasco, quia possidebat cum titulo, arguendo textum in leg. Juste possidet, ff. de Acquirenda possessione. Fateor

tamen, quod aliqua personæ ex timore conscientia propria mihi restituerunt plusquam mille aureos pro aliqua satisfactione damni & præjudicii quod incurrit propter injusta & illicita negotia contra me adhibita & commissa durante vocatur.

16 In qua proprietatis Vesperorum Cathedralis favente gratia & misericordia Divina, maxima & mihi possibili cura & solitudine, legi per viginti annos, à lucrosa advocacione & negotiis temporalibus me abstinendo, & in reddenda vera & solida doctrina, & pauperibus incarcerationis subveniendo, omne tempus consumendo. Ex quo licet Doctor honesta vita & legali scientia præditus plurima & singularia privilegia consequatur: Primum: Quia talis Doctor maximè actualiter legens in aliqua Universitate præcedente rigoroso examine, approbatus à scholastico vel patricio, & sic ab antiquiore seu facultatis de ejus commissione insignia Doctoratus conceduntur, quæ principaliter sunt quinque, scilicet ascensio Cathedralis, in signum perfectionis acquisitæ Doctrinæ, argumento textus in cap. Multi, distinct. 40. impositio byrreti cum foscuro rubeo in signum coronæ acquisitæ in fortissimo certamine, non minus quam milites qui gladiis, clypeis & thoracibus defendunt rempublicam, argumento textus in cap. Si quis virorum, distinctio 30. & in leg. Advocati, Cod. de Advocat. divers. judic. & in leg. unica, Cod. de Athletis. Præsentatio libri clausi & aperti, in signum sapientiæ, in ejus corde & pectore clausæ, pro eruditione, & doctrina totius mundi, argumento textus in cap. Habeo librum, distinct. 16. annulli subharratio in signum desponsationis legalis sapientiæ, argumento textus in cap. Fæmine 3. quest. 5. osculi exhibitio, in signum pacis & amoris Dei & proximi, argumento textus in cap. Pacem de consensu, distinctione 3. & interminis hæc insignia ponit Glossa singularis in jure, juncto textu in Clement. de Magistris, & ibi communiter DD. in locis supra allegatis.

Secundum privilegium est: Quia non debet in jus vocari sine venia, & habet Judicem proprium & particularem scholasticum, ut in leg. Quoties, Cod. de Dignitatibus, in Authent. Habita, Cod. Ne filius pro patre, & in Clem. 1. §. 1. de Magistris, & utrobique DD. & tenet Bart. & alii in leg. Si libertus, ff. de In jus vocando.

Tertium privilegium est: Quia non potest incarcerationi pro debito civili: ita probat textus in leg. Medicos, Cod. de Profes. & Medic. lib. 10. & ibi Platea & communiter DD.

Quartum privilegium est: Quia non potest torqueri stantibus indiciis, & ita probat textus in leg. Milites, Cod. de Quast. & notant Cyn.

Alber. & communiter DD. textus in leg. Si excepta, Cod. de Malefic. & mathem. & ibi Salic. & alii DD. & tenet Glossa ordinaria in leg. Omnes, §. Præterea de Episcop. & Cleric. Bart. & communiter DD. in leg. Omnes Judices, Cod. de Decurionibus, Felin. in Rubric. de Magistris, & dixi & tenui in materia delictorum, cap. 13.

Quintum privilegium est: Quia pœnis plebeiorum affici non potest, ita probat textus in leg. Desertorum, §. Pœna Militari, ff. de Re Militari, & tenet Glossa ordinaria in leg. 1. §. Præterea, Cod. de Episcopis, & Clericis, & ibi communiter DD. Bald. & alii DD. in cap. Cum quidam de Jurejurand.

Sextum privilegium est: Quia efficitur immunis & exemptus ab omnibus subsidiis, tributis, & muneribus personalibus, quæ aliis plebeis, & popularibus personis imponuntur, textus est in leg. Medicos, Cod. de Profess. & Medic. text. in leg. 1. Cod. de Immunitate publica, lib. 10. & utrobique communiter DD.

Septimum privilegium est: Quia potest arma impunè portare omni tempore, & loco prohibito, ita probat textus in dict. leg. Medicos, & ibi Bart. & communiter DD.

Octavum privilegium est: Quia debet sedere cum ipso Judice Ordinario in loco ubi judicium exercet, nisi compareat in sua propria causa, ita probat textus in leg. 1. Cod. de Officio civil. judic. & ibi DD. & tenet in specie Felin. in Rubric. de Magistris.

Nonum privilegium est: Quia excusatur litigator à condemnatione expensarum: item etiam excusatur Judex in syndicato, si litigavit vel proferat sententiam secundum opinionem probabilis Doctoris, contra communem opinionem, argumento textus in capit. Ut debitus de Appellatione, & in cap. 1. de Postul. lib. 7. & tenet Abbas in cap. 1. de Postulat. præl. Cardinal. in Clem. 2. de Magistris, column. 3. num. 16. Bald. & alii DD. in leg. fin. Cod. de Pena judic. qui malè indic.

Decimum privilegium est: Quia potest expellere fabrum vel malleantem juxta domum suam, ita Glossa ordinaria in leg. 1. ff. Soluta matrimon. in Glossa fin. argumento illius textus, & ibi tenent Bart. & communiter DD. præcipuè Jason num. 45. idem tenent Bart. & alii DD. in leg. 1. Cod. de Stud. liber. Urbis Romæ, lib. 11. cujus ratio est ne impediatur ingeniosa speculatio litteralis, quæ tendit in favorem publicum.

Undecimum privilegium est: Quia talis Doctor & uxor ejus vidua, si non mutat statum, & filii & descendentes ejus gaudent omni illo commodo, privilegio, dignitate, & prerogativa, qua nituntur, & gaudent nobiles & claro sanguine decorati: quia scientia nobilitat hominem sicut

antiqua progenies, ita Probat textus in leg. 1. §. Est quedam, Cod. de Variis & estr. cognit. text. in leg. Proximus, Cod. de Proxim. Sacrosanctis Scripturis, lib. 12. text. juncta Glossa in leg. Societas, §. Societas, ff. Pro socio, text. in leg. Providendum, Cod. de Posthum. text. in leg. Medicos, in leg. Magistros, Cod. de Profess. & Medic. lib. 10. text. in Clem. 2. de Magistris, & utrobique communiter DD. & Petr. Lenander. in 6. volumin. tract. 2. part. de Doctor. privil.

17 Duodecimum majus & excelentius privilegium est: Quod talis Doctor, qui legerit, & docuerit in proprietatis Cathedra, in Universitate approbata, sicut nostra Salmantina, per viginti annos, jubilatus & illustrem veteranorum militum titulum & dignitatem acquirit, sicut Dux, Comes spectabilis clarissimus, velut ille, qui est ad latus Principis, text. est in leg. unica, Cod. de Professoribus, qui in Urbe Constantinopolitana docentes legem meruerunt comitivam, libro 12. & ibi Glossa ordinaria, Bart. Plat. & communiter DD. textus in leg. unica, Cod. de Comitibus & Archiatris Sacri Palatii, eodem libro, & ibi etiam communiter DD. text. in leg. 1. & per totum, ff. de Privilegiis veteranorum, tenet etiam Bart. in Proæmio, ff. Veter. column. 1. num. 11. Alexand. & moderni, in leg. 2. §. Si prius, ff. de Vulgar. & pupil. & idem expressè disponit lex 8. tit. fin. part. 2. & idem hodiè disponunt Constitutiones nostræ Universitatis. Et talem titulum & dignitatem licet immeritus & indignus, solo favore & gratia Divina consequutus fui, quia in hac Universitate Salmanticensi prius omnes Cathedras in jure civili ordinarias & salariatas habui & obtinui, duas quidem institutionum, duas etiam Codicis & unam quæ sola est Digesti veteris, & postea duas quidem proprietatis Vesperorum, in quarum secunda legi per dictos viginti annos, in quibus principales materias totius juris civilis perlegi & discurre, & eas posui, & collegi in scriptura publica.

Advertendum tamen, quod oportet, quod per istud tempus viginti annorum quis legat continuè & non interpolatim: ut quis legat per certos annos in una Universitate, & postea sumpto officio diverso, vel ex alia causa vel impedimento desinat legere sine licentia, & speciali mandato ejus, & denique postea in eadem vel diversa Universitate iterum velit legere & perficere, quia non sufficit: ita probat textus valde notabilis in leg. 2. & 3. Cod. de His quæ non impleverint, lib. 10. & ibi tenent & commendant DD. tenet etiam Plat. in dict. leg. unic. Cod. de profess. qui in Urbe Constantinopolitana.

Circa prædicta tamen necessario quæro: An Doctor factus & creatus à Principe præferatur aliis

aliis Doctoribus? Et resolutivè dico quod si est factus & creatus, præcedente riguroso examine, benè præferatur etiam aliis antiquioribus. Si verò solo verbo, non præferatur, argumento text. in leg. 2. ff. de Alio scribendo, & in l. Nemo, Cod. de Advocat. divers. judic. & in expresso ita determinat Romanus in l. Si verò, §. de Viris. ff. Soluta matrimonio 29. falsis; cum quo transeunt cæteri Doctor. tenet etiam & reputat singulare Jason in l. 2. §. Si prius, ff. de Vulgar. & pupillar. col. 3. n. 17. & Andr. Sicul. in Proæm. Clement. & Marian. Senens. in cap. Qualiter & quando, de Accusatione, tertio notabili.

Item etiam quæro: An talis Doctor, maxime jubilatus & illustris, præferatur militi, & sic nobili sanguine decorato? Et certè utraque pars potest de jure fundari. Sed ista est vera & notanda concordia, quod in actibus militaribus præferatur miles; in actibus verò Doctoralibus & litteralibus præferatur Doctor: ita singulariter determinat Felin. in capit. 4. de Magistris, & sequitur Petr. Lenander. in tractatu de Doctor. & eorum privilegiis, volum. 6. quest. 6. partit. 3. in actibus verò ambiguis & promiscuis similiter dicunt prædicti Doct. quod præferatur

Doctor, quasi ex premio scientiæ litteralis maximo labore, & propria virtute acquisito. Sed certè crederem militem ex antiquo, illustri, & clarissimo sanguine præferri: quia jura, & privilegia eorum dicuntur magis antiqua, perpetua, & immutabilia, & sic digna præponi altiori loco, argumento text. in leg. 3. ff. de Interdictis & relegatis, & in leg. 1. §. penult. ff. de Aqua pluviali arcend. & in leg. Divo Marco, Cod. de Quæstionib. & in leg. Si, Cod. de Tyronib. lib. 12. cum simil.

Finaliter, & postremò, pro vera, propria, fructuosa & perpetua dignitate ineffabilis cælestis gloriæ obtinenda, quæ cunctis rebus est præferenda, humiliter summum, & omnipotentem Deum, & Dominum nostrum supplico, & lachrymis exoro, ut maximos, & continuos labores, quos in Militia litterali, & aliis rebus spiritualibus, & secularibus propter hunc finem sustinui, respicere dignetur: licet tanto præmio non sunt condigni, sua tamen misericordia, & meritis Passionis suæ, & intercessione Beatissimæ Virginis Mariæ, & suæ Angelicæ annuntiationis, & aliorum Advocatorum meorum, eam mihi concedere dignetur. Amen.

LAUS DEO.

